



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

CLXXVII. Der Vicar des Bischofs von Lebus bestätigt eine Stiftung für die
Messe Rorate in der Pfarrkirche zu Frankfurt, am 18. Juni 1388.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

CLXXVII. Der Vicar des Bischofs von Lebus bestätigt eine Stiftung für die Messe Rorate in der Pfarrkirche zu Frankfurt, am 18. Juni 1388.

In nomine domini amen. Quoniam labilis est hominum memoria, cum homo labilis et ex corruptibili materia sic formatus, Ideo inuentum est Sacre scripture remedium, ut ea, que in presenti hominum dispositione existerent ordinata, possint in posterum ad perpetuam rei memoriam liquide comprobari. Hinc est, quod nos Heynricus Friberg, Officialis et Vicarius Reuerendi in Christo patris et domini, domini Johannis Episcopi Lubucensis in spiritualibus generalis, Ad vniuersorum tam presentium quam futurorum noticiam cupimus peruenire, Quod prouidi Viri Czanderus Siuerstorf, Paulus Quentyn et Conrad Seckil Ceterique omnes et singuli Ciues in frankenford Lubucensis diocesis, qui Misse Rorate in Honorem annunciacionis Beate Marie Virginis gloriose singulis septimanis in parrochiali ecclesia ibidem interesse consueuerunt, ob honorem et reuerenciam omnipotentis dei, gloriose genitricis sue Virginis Marie et omnium sanctorum, necnon ob iugem et perhennem predecessorum ac successorum suorum animarum salubrem memoriam, dederunt, assignaueruntque quinquaginta sexagenas grossorum Pragenium perpetuis Redditibus comparandis ad quoddam altare alias dudum in ecclesia Parrochiali in dicta frankenford scilicet ante chorum a dextris fundatum et consecratum, sed nondum aliquibus Redditibus dotatum, Nunc vero consilio pariter et consensu honorabilis viri domini Johannis Hokman plebani ibidem interueniente, in honore Annunciacionis prelibate virginis gloriose dotandum, saluo Jure predicti domini plebani ac suorum successorum quo ad quadraginta grossos anni census per altarium qui pro tempore fuerit singulis annis plebano persolueudos, tali tamen condicione adiecta, quod Juspatronatus siue Jus presentandi dicti altaris ad prefatos Czanderum, paulum et Conrad Seckil et ad illos, qui, ut prefertur, misse singulis septimanis in prefata ecclesia parrochiali in honorem annunciacionis virginis marie decantande interesse consueuerunt seu interesse consueuerint in futurum, perpetue debeat permanere. Nos vero henricus, vicarius predictus diuini cultus ob augmentum prefatam dotacionem et assignacionem auctoritate prefati (nostri) domini nostri Episcopi, qua fungimur in hac parte, ac omnia alia et singula supra scripta rata et grata habentes et nichilominus ea ratificauimus et ratificamus ac confirmamus, Necnon presentis scripti munimine confirmamus, dummodo plebano seu Rectori ecclesie parrochialis supradicte, qui pro tempore fuerit, de prefatorum quinquaginta sexagenarum grossorum quadraginta grossi singulis annis persoluantur aut de eius voluntate habeatur, seu per dotacionem aut assignacionem dicti altaris memorate ecclesie parrochiali aut eius plebano prenotato nullum preiudicium seu nocumentum generetur. In cuius ratificacionis seu confirmacionis euidentiam pleniorum presentes literas scribi et Sigilli appensione fecimus roborari. Actum et datum frankenford, Anno domini M^o CCC^o Octuagesimo octauo, in die sanctorum martirum marci et marcelliani.

Nach dem Orig. des Stadtarchives VIII, 2, 7.